

aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus. Neque hae, neque ceterae consolationes, quae sunt a sapientissimis viris usurpatae, memoriaeque litteris proditae, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostrae civitatis, et haec prolatio temporum perditorum: cum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt; minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua republica perdidissent. Quod si tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione moeres, non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. Sin illa te res cruciat, quae magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugēas; ut ea non dicam, quae saepissime et legi et audivi, nihil mali esse in morte, ex qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quam mors ducenda sit; sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quae non sentiatur: hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere republica, quae qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim jam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati, ac saluti loci? Non mehercule quemquam audivi hoc gravissimo et pestilentissimo anno adolescentulum, aut puerum mortuum, qui mihi non a diis immortalibus ereptus ex his miseriis atque ex iniquissima conditione vitae videretur. Quare si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid iis, quos amasti, mali putes contigisse; permultum erit ex moerore tuo diminutum. Relinquetur enim simplex illa jam cura doloris tui, quae non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum proprie referetur; in qua non est jam gravitatis ac sapientiae tuae, quam tu a puero praestitisti, ferre immoderatus casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria maloque se junctus. Etenim eum semper te et privatis in rebus et publicis praestitisti, tuenda tibi ut sit gravitas, et constantiae serviendum. Nam quod allatura est ipsa